



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De  
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem  
confixione**

**Raynaud, Théophile**

**Lvgdvni, 1653**

Florentius de Montmorency Vicarius Generalis Societatis Iesv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11141**

378 *Gemitus Columba, De Iudiciis seculi.*

dicij peruersionem damnatione eius qui auditus pro se satisfacere & indemnitate abire potuisset, feret acerbissimè, vt verba Elaiæ sanè magnificè exprimunt.

*a* orat. de  
Episcopis  
in fine t. 2.  
Græcol.

Itaque altè occinendum & validè inclamandum est iudicibus omnibus quod Episcopis iudicantibus ingerebat Nazianzenus *a*. [ Vos qui thronos coronatos consequimini, & ob fluxas eminentias elari estis iustitiam illam extremam & inuitabilem intuemini, omnino nihil vsquam esse quod illam effugere possit considerantes. ] Nam hîc quidem vi muneris & potestatis in alios, tuti estis, etiamsi ad gemitum pauperis obsurdescatis, nec præ gratia qua apud vos valent potentiores, aures innoxii per eos oppressis referare dignemini: at apud iudicem Deum, non sic, sed procul excusso omni fauore, & omni gratia Dei ipsius gratiam excludente emerget ac splendet in vestram confusionem oppressa veritas, ac in vestris capitibus seriùs ocyùs agente Deo hæc faba cudetur. Sic se solabatur Theodoretus iniquo (vt ipse quidem refert) iudicio oppressus, & absens ac inauditus peruersitate impietatem æquante damnatus. Vnde scribens ad Eutrechium præfectum *b*, post alia in eam damnandi absentis ac inauditi iniquitatem adducta, subdit; [ Actionem sine vadimonio instituerunt. Sed oportet æquos Iudices reo alteram aurem seruare. Quod si aduersariorum sermonibus vtramque præbent, & ex eorum arbitrio sententiam promunt, amplectemur iniuriam regni cælorum conciliatricem, & forum illud expectabimus, in quo non accusator futurus, nec patronus, nec testis, nec discrimen dignitatum, sed dictorum factorumque iudicium, & congrua meritis retributi: omnes enim stabimus (inquit) ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum, siue malum. ]

*b* Epist. 91.

---

*Florentius de Montmorency Vicarius Generalis  
Societatis I E S V.*

**C**Vm' Opusculum P. Theophili Raynaudi Societatis Nostræ cui titulus, *Gemitus Columba de Iudiciis seculi*. Tres eiusdem Societatis Theologi quibus id commisit, recognouerint; & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. Romæ 28. Iunij 1649.

FLORENTIUS DE MONTMORENCY.

INDEX